

**1995-10-11 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Dei Genetrix Maria’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***DEI GENETRIX MARIA***

**IMAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS SUB TITULO «PORTA MISERICORDIAE»,  
QUAE IN TEMPLO TRANSFIGURATIONIS DOMINI IAROSLAVIAE COLITUR,  
PRETIOSO DIADEMATE REDIMITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Dei Genetrix Maria «ea quidem est quae divinae misericordiae interius percipit mysterium» (*Dives in misericordia*, 9); hac sane significatione eam iure vocitamus Portam Misericordiae, quae toti generi humani aperit thesaurum divinae miserationis. Et merito a multis saeculis populus fidelis ad eam peregrinatur, humiliter implorans Virginis potentis intercessionem apud divinum Salvatorem.

Igitur, Excellentissimo Domino Ioanni Martyniak, Episcopo Premisliensi ritus Byzantini Ucraini, qui litteris die XXVIII mensis Novembris superiore anno datis communia vota cleri et Christifidelium exprompsit, concedimus libentes ut pulchram valde multisque gratiis praeclaram imaginem Beatae Mariae Virginis sub titulo «Porta Misericordiae» quae in templo Transfigurationis Domini urbis Iaroslaviae pie colitur, Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate redimere possit. Contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Octobris, Beatae Mariae Virginis Matris Ecclesiae recurrente memoria, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*